

thecæ meæ indicem mittet Schlauderspachius. Si quid præstare poteris facies gratam rem; selegi enim mihi necessarios libros. Dn. Herdesiano, D. Durnhofero, plurimam salutem. Ædes & hortur mihi destinavit Princeps, sic, ut locum dare possem honestis Juvenibus, quorum aliquos jam accessisse video. Si qui e vestra urbe me accesserint & salutarint, eis non deero. Vale in Domino & me exhilara tuis literis. Heidelbergæ ex ædibus Ezechiaë Fechii in quibus diversor. 10 Julii tibi ὁμωνύμῃ mensis 1584. P. S. Si Ostroroganus Comes adhuc Altdorfii est, quæso ut Epistolium hoc, quod mitto, ei exhiberi cures.

*T. Grynæus.*

## EPISTOLA XXXVI.

**S** istis diebus, Vir cl., scripsi ad nobilem virum propinquum tuum, D. Ant. Geuderum, de studiis filii illius, quem cum diligam magnopere velim omnino (si quid video) necessarium de illius studiis consilium meum sequi. Præceptor, quo usus fuit, nec pronunciationis nec orthographiæ nec συντάξεως ratione habita, Rami præcepta Logica

gica